

symptomatibus pessimis (807.) nec tamen adhuc gangraenosis, statim post acerbam prognosin instituenda erit *βρογχοτομή*.

813. Quae fiet, praeparato corpore aegri; in aspera arteria infra laryngis inferiora ad pollicis distantiam, di cissa cute, & integumentis; amotis musculis; secto interstitio inter annulos arteriae asperae; imposito canaliculo argenteo; dein ablata causa, quae exegerat hanc operam, vulnus percurando; interim clysmata nutritiva applicando, si deglutitio impossibilis.

#### ANGINA SUPPURATORIA.

814. Verum si malum jam eo processerit, ut suppuratio loci affecti jam incipiens cognoscitur, per signa (387.) erit tentanda via abscessus per artem, & remedia generalia (402. ad 412.); maxime autem molli, assiduo gargarismate, largo cataplasmate laxante; pertusione loci, sensibus deprehenfi; bronchotome (812, 813.)

815. Illa autem anguinae species, quae prior descripta (801. 802.), raro eousque adolescere potest, sed vel prius resolvitur (809.), vel necat,

AN-